Inter libros
Josephi Mariæ Paruscandola
Antecessoris Regii
A. L. X.

DISSERTATIO DE

COLLARIBVS CLERICORVM

TVBVLATIS ET PLANIS,

QVAM

VIRO SVMME REVERENDO, ET EXCELLENTISSIMO, MAGNIFICOQVE ACCADEMIAE LIPSIENSIS RECTORI,

CHRIST. FRIDERICO BÖRNERO,

DOCTORI THEOL. ET HVMANARVM LITER. PROFESSORI,

IN GRATVLATIONIS DEVOTAE, ET DEBITAE OBSERVANTIAE PIGNVS DEDICAT,

M. URBANVS GODOFR. SIBERVS,
Eccl. Sneeb. Archid.

SNEEBERGAE,
Ex Typographia Fuldana. A. R. S.
MDCCX.

VIR MAGNIFICE, SVMME REVERENDE ET EXCELLENTISSIME, DOMINE ET PATR. SVMMOPERE COLENDE.

SI quis mortalium nominandus, qui beneficia coeleſtia pariter atque terreſtria in numerato habuit, TE in primis memorari decet, quem praeſentis Seculi XVIII. Annus decimus tanquam excellentioris fortunae exemplum cum veneratione et applauſu ſalutat. Quod, ut a teneris ordiar, brevis quidem ille, ſed nihilominus admirandus vitae tuae curſus oſtendit, quem ſi cum perniciſſimo aquilae volatu contulero, haud quaquam me erraturum ſpero. Tibi coeleſte Numen Natales ſplendidos illuſtresque dedit, quippe quos Caſparis Börneri Lipſienſis Academiae Statoris, et Martini Geieri, ſanctiſſimi, quotquot vixerunt unquam,

Praesulis, et excellentissimi Patris tui Ioannis Georgii , Solonis nostri merita summopere nobilitarunt. Divinitas Tibi ingenium tantopere a reliquorum censu distinctum impertiit, ut adolescentia tua non tabulae rasae, quod existimabat Plato, nec cerae vacuae, sed auro divinis literis inscripto aequiparanda videretur, Et quo pulchrius sapientia habitaret , ipsa rerum natura talem Tibi formam largita est, quam Mercurio Apollinive similem omnes fatebuntur, quibus eruditissimae mentis tuae domicilium contemplandi facultas datur. Ac quamvis sine Duce tibimet ipse praeesse , ac ineffabili vivacitate thesauros menti tuae inditos excitare potuisses , attamen, ne quid fortunae tantae deesset, eos Juventae moderatores habuisti, qui huic felicitati,sed non sine decore suo, incrementisque propriis opitularentur. At bone Deus! quanta hos omnes pernicitate superasti? dum enim quandoque Viros desudare , nec ante XXX. annum sapere videmus, Tu , non Daedaleis succinctus alis, sed Bellerophontis equo insidens ad nobilissimas quasque et eminentissimas disciplinas sine praecipitii periculo, quod in Cebetis Tabula depictum, deductus fuisti: quibus maximum, nec nisi optimis dari solitum Eloquentiae beneficium acessit , innumeris equidem vicibus, tum vero maxime a TE exertum, quum PerJllustrem et Excellentissimum Virum IOANNEM ÆGIDIVM ALEMANNVM Regis Sarmatarum ad augustissimum Imperatorem

torem Leopoldum Oratorem gravisſimum, hodieque Miniſtrum Status et ſanctioris conſilii Senatorem intimum Oratione Panegyrica venerabundus excepiſti, atque ita laudaſti, ut veritatem cum puritate ſermonis et elegantia et prudentia felicisſime copulares. Quod, cum pene miraculo noſtris cederet, voluit tamen divina benignitas iſtud rarioris felicitatis exemplum exteris oſtentare: Unde haec ipſa manus e nubibus exerta TE in alium deduxit orbem, et ad Batavos primum, inde ad Britannos ire jusſit, ut huic genti, artem et Martem mirifice excolenti declararet, Saxones, unde Britanni, vel Angli potius ſuam olim traxere originem, ſuosque ſuxere Spiritus, non degeneraſſe ſed habere ſuos Ingeniorum Fontes, Teque unum cum ſeptem Nili oſtiis comparandum eſſe. Tu vero non ſpreviſti Britannicas opes eruditasque divitias, ſed praeter vivorum Oracula, qui TE tanquam ex Jovis cerebro natum complectebantur, mortuorum praeterea voces in Elyſiiis Bibliothecarum campis audiebas, ad quos Tibi aureus ille doctrinae et eloquentiae ramus aditum faciebat. Profecto ſaepe mihi ante oculos pono, et dulcisſima imaginatione ad ſancta illa Oxonienſium et Cantabrigienſium literarum Palatia abreptus, recordor, qua asſiduitate inter veteres membranas abditus easque verſans, et Ariſtarchi in morem circumvolvens, et Mabillonianas artes exercens, et Dionyſiii Chalcenteri patientiam fovens, Philoponus alter, legeris,

geris, scripseris, meditatus fueris, quo his ornatus divitiis Lipsiam tuam ornares, Athenasque illas tanto illustriores redderes. Mirum hoc erat in aetate tanta, sed admirabilius Te non humaniores tantum, quod Petrus olim Mosellanus fecerat, sed sacras etiam, nec nisi e coelesti tripode haustas literas profiteri. Vnde ingrata hercle extitisset Lipsia, illa ingeniorum Mater, nisi has agnovisset dotes, easque non vulgari sed multiplici honorum stipendio honorasset. Quod factum, quum non ignobilem spartam a Mosellanis, Camerariis, Rivinis cum maxima laude sustentatam Tuis imponeret humeris, atque praeterea in amplexus tuos nobilissimam, et forma et castitate et prudentia et opibus praestantem deduceret virginem, selectam plane et omnium Gratiarum decus sustentaturam. Et haec quidem coelesti sententia Tibi destinata erat: tu vero quum nosses multo adhuc esse dulciorem divinam veritatem reversus ad eam, eamque complexus ita tecum copulasti, ut omne quicquid ad eam exornandam faceret, conferres. Extat nobilis et duraturus Commentarius, quo Jacobi Longi Bibliothecam sacram insigni beneficio collustrasti, cui cum rependendo non nisi publici plausus superessent; Lipsia, occulta hominum vota antevertit, Sacramque tibi Purpuram imposuit, cum splendida Rectoratus Academici provincia conjunctam, satis jam satis gnara, Te Porphyrogenetum, cuicunque Magistratui suffecturum, non tantum lacinia pur-

purpurae denotandum, ſed quantus, quantus fueris, ea involvendum eſſe. Sit tibi bene Lipſia, quae in tanto Alumnorum tuorum numero eum ſelectum facere didiciſti, quem divinitus approbatum, vel ab ipſis coelitibus inditum poſteri agnoſcent. Tu vero Magnifice Börnere, dum purpuratus incedis, reſpice ad hominem atratum, et tenuem Sacerdotis fortunam prae ſe ferentem, hocque, quod honori tuo monumentum vovet benignus ſuſcipe, illud meditatus, tanto conſtantiorem eſſe fortunam, tantoque magis gratam, ſi non nobis tantum ſed aliis etiam illa levamento cedat. Ego interea ſummum precabor Numen, ut qvum in ipſo aetatis flore TE ad ſummos honores evexerit, eosdem per inenarrabilem annorum ſeriem conſervet, Patrique et Socero Tuo, Illuſtribus Viris et bene meritisſimis, Tibique pariter Neſtoris olim ſenectutem largiatur.

Scribebam Sneeb. A. MDCCX.

De

I.

De Collaribus Clericorum, vel de eo ornatus genere, quo collum Sacerdotale circumveſtiri ſolet, aliquid commentari conſtitui, tum quod pauci ſint, qui hactenus aliquid de eo tradiderunt, tum quod pene in Legis vicem illa conſvetudo abierit, nec ſine piaculo ſcandalove poni poſſe bene admodum credatur. Spero autem me non minore ſodalium applauſu id facturum, ac veteres, quando veſtitum et habitum Clericorum expoſuerunt.

II.

§. Quod igitur ad originem Collarium ſpectat, eam licet ab ultima antiquitate repetere geſtiam, fateor tamen me voti hujus haud quaquam compotem futurum eſſe: quanto enim longius proſpicio, tanto magis hoc ornamento veteres caruiſſe cognoſco: praecipuum quippe illorum decus erat non ſuras tantum, compactaque corporis fulcra, ſed pectus etiam et collum nudare, ipſosque capitis ſuſtentatrices nervos oſtentare. Id quod conſtat ê ſtatuis Veterum magno numero inventis aerique inciſis, quarum colla Iſthmi huius nuditatem in decore poſitam confirmant.

III.

§. Edmundus Figrelius, libro de Statuis Veterum lectu digniſſimo exemplis adſtruit, collis ſtatuarum nudis, nomina, quibus diſcernentur inſcripta fuiſſe,

fuisse, quod, ornamento tectis, fieri non poterat. Arrianus autem de variis venerationum officiis differens, quibus excelsi homines exciperentur, ita ait: Tribunatum adeptus est? ecce omnes obvii gratulantur: alii oculos osculantur: alii collum: nempe illud nudum ostentabatur. Joachimus Camerarius insigne Germaniae decus, et aeternum Academiae Lipsiensis ornamentum, dum singulas humani corporis partes explicat, ad collum delatus, agnoscit, Veteres illud nudare consvevisse, adscitoque egregio Platonis loco Pauli gentium Doctoris verba παντα εισι γυμνα και τετραχηλισμενα non inepte explicat. Nec ab eo dissentit CL. Ioannes Schäfferus elegantissimo de Torquibus libello Holmiae publicato, Sectione XII. confirmans, colli nuditatem Veteribus perquam solennem fuisse. Schaeffer. de Torq. p. 51.

IV.

§. Sed video huic sententiae varia eaqve probatissimorum auctorum loca opponi posse, quibus τα περιτραχηλια, περιδεραια, περιαυχενια, ςρεπτα, περιτραχηλιος κοσμος memoratur, quibus usi sunt primis temporibus Aegyptii et Chaldaei, sacris id ipsum libris, cum Diodoro Siculo, Aelianoque confirmantibus: a quibus morem acceperunt Persae, quod pluribus ostendit BARNABAS BRISSONIVS in eruditis de Regno Persarum libris, vir, elegantius monile, quam pudendum funem, quo in Parisiensibus nuptiis implicitus fuit, hercle promeritus: Hinc Arabes et Cassandrini, apud Photium: Parthi, iisque finitimi Scythae: quos

imitati sunt Gothi apud Saxonem Grammaticum L. III. Cap. XX. vicinique Dani, quique in continentem late porriguntur Germani, apud Florum: et Borussi veteres, Sudinique apud Stellam: nec minus Galli apud Livium, Britannique, quod idonea Strabonis et Herodiani testimonia probant.

Stella de Antiqv. Borus. L.I.

V.

§. Verum si ornamenta illorum accuratius examinentur, quem laborem pridem laudatissimus Schäferus occupavit, mox deprehendemus, ea nequaquam cum his, in quorum contemplatione versamur, comparanda esse: Vel enim sub hoc nomine laxiores continentur torques pendulae, et apud Viros mediam pectoris partem, in foeminis ad ipsam uberum collem adsitamque vallem pertingentes: vel etiam circuli latiores, ex solido auro, vel ferro confecti, quibus ea propter aliquando coronae nomen impositum fuit: quali circulorum genere hodie canes ornantur. Hi vero circuli latiores et solidi, quod LIPSIVS pariter et SCHAEFERVS agnoscunt, collum arctius constringebant, atque inde aliquando demti capitibus impositi fuerunt, coronarum vicem sustentaturi, si qua forte contingeret, per seditionem militarem Imperatorem ex improviso, Diademate nondum parato, legi. Sed ea ornamenta non semper veteres gestabant neque omnem colli nuditatem contegebant, cujus inferior pars ad scapulas excurrens nuda remanebat, belli tantum temporibus exceptis, quibus ictuum vitandorum gratia non collum modo περιτραχηλιοις A LEONE

ONE in Tacticorum libris enarratis, ſed omne reliqvum corpus ferro contegebatur, quod ex armatura veterum in Regum et Principum Hoplothecis aſſervata videre licet.

VI.

§. Inprimis ab illa colli tegendi conſvetudine Romani Veteres perquam alieni fuere, ut eos miſere deſipuiſſe putem, qui in nominum rationibus explicandis Collum a colendo dictum putavere. Quorum opinioni, etſi vel ipſius Varronis auctoritate ſtabiliretur, parum innitendum exiſtimo, qvum idem illud Grammaticorum Idolum in iſto literarum genere, artificem parum felicem egerit. Accedunt autem ad colli nuditatem aſſerendam ſcriptores, qui geſtum pariter atque veſtitum Veterum Oratorum expoſuerunt: Quos inter Fabius Quintilianus optimus ad componendos Oratorum mores Magiſter: operire autem, ait, humerum cum toto jugulo non oportet: alioqui amictus fiet anguſtus, et dignitatem, quae eſt in latitudine pectoris, perdet; ac paulo poſt: Laenam a pectore et ſummis faucibus abducere licet. Ex qua Fabii deſcriptione colligimus, indecorum fuiſſe apud Romanos, collum et jugulum et humerorum partem contexiſſe, eo, quod in illa retectione, quemadmodum in latitudine frontis decus quoddam et majeſtatem quaererent. Certum vero praeſtantiſſimis quibusque atque caſtisſimis Graeciae Oratoribus et Philoſophis eundem morem fuiſſe ſolennem, quorum pleroſque vel omnes potius in aeneis figuris

Qvintil. L. XI. c. 3.

Laertio per Menagium additis, ad pectus usque nudos, vel si pallio contecti forent, jugulo tamen exerto, denudatoque videmus.

VII.

§. Jam equidem maximus ille artis salutaris, ac morum praeterea Princeps Hippocrates, libro de decenti habitu, Medicum vestiens, cavere jubet, ne qua multas corporis partes nudas ostendat τηρειν δε χρη εωυτον οτι μαλιστα, μη πολλα φαινοντα των τε σωματος μερεων Quae Coi Senis verba sic interpretatur Anutius Föesius, ut ad aegrotos possint referri, quasi in his sit cavendum medico, ne multas corporis partes denudet, neve explorationis obtentu, titillationibus suis et libidini, quod solent nonnulli, satisfaciat, id quod admodum indecorum et sacris pariter, atque profanis Magistratuum Legibus * graviter interdictum scimus:

Hippocr. de Dec. Hab. p. 22.

Verum

* THOMAS CANTIPRATENSIS in vita Luitgardis Virg Cisterc. L. I. c. 2. cum illi osculum ab Abbate S. Trudonis violenter illatum esset, pulchre inquit: Tu ergo virgo Sponsa utique Christi, aut quaelibet amatrix castitatis, cum Lutgarde fuge tales, si quis te sollicitare aut detegere velit: si quis manu ad sinum aut ubera vel ad partes reliquas appropinquare tentaverit, sputum pro osculo reddas, et pugnum obvium contrectanti: nec Clerico in hoc deferas vel personae, quia castitatem mentis etiam verbere tueri licet, sicut corporis vitam.

Verum, hoc a mente Hippocratis alienum erat, quod ex posterioribus monitis liquet, quibus Medicum in introitu, (non in exitu, quemadmodum Foesius interpretatur) meminisse jubet, της καταςολης περιςολης, ανακυριωσεως: nempe cogitandum esse Medico, qvum apud aegrum consedisset, de pallii ad pedes demissione et circumductione, ac ne qua turpiter illud attrahat, minusque honestas partes ludibrio hominum exponat. In qvo praecepto, etsi quam maxime honestatem Cous spectaverit, non tamen antiquam colli libertatem constrinxit, quam ipse ita sartam tectamque servavit, ut licet capite tecto peregrinantis in morem olim sculptus pictusque fuerit, jugulo tamen nudo semper incesserit, quod ex aliis ejus Iconismis satis constat.

VIII.

§. Sed ad Romanos redeo, penes quos Focalium fieri mentionem recordor. Horatius omnis eruditionis Horat. serm. l. 2. Sat. VI.

tam. Talem non arbitreris servum Christi sed Satanae: non pudicitiae sectatorem, sed revera vilissimum Leccatorem.

Dagobertus in Leg. Alemann: ap. Baluz. T. I. Capit. Leg. 58. si quis liberalem foeminam obviavit, et per raptum denudat caput ejus, cum VI. Solidis componat. si ejus vestimenta levaverit; ut usque ad genicula denudet, cum VI. Solidis componat. Et si eam denudaverit, ut genitalia ejus appareant vel posteriora, cum XII. Solidis componat.

ditionis promus condus, ac Vates Bibliothecis dignisſimus, Damaſippo Focalia objicit, eaque tanquam parum decora negligenda cenſet, Polemonis more, qui Xenocratem audiens easdem occultae voluptatis notas tandem poſuerat: poſt HORATIVM SENECA, FABIVS, MARTIALIS, quorum verba ſunt adducenda, poſtquam de hac Focalium voce ex Criticorum quorundam finitimis ſeculis florentium, ſententia pauca quaedam adduxerimus. GEORGIVS MERVLA petulantisſimus Cenſor, ac ferme ex eorum numero, in quibus paedagogicum faſtum SCIOPPIVS animadvertit, in Cenſuris ad GALEOTI MARTII Narnienſis librum de Homine, inſultat adverſario, quod in Faucium deſcriptione, Focalia intacta dimiſerit, qvum tamen illud non vulgarem ſibi explicationem poſtulet. Atque inde ait: Quid ſint Focalia, quantum ex varia et diligenti lectione aſſecutus mihi videor fuiſſe, aperiam: Focale eſt velut Faſcia quaedam collum ambiens, quod fauces perfringere non ſineret, quippe pronunciationi conducens: At tumidus oſtentator non ſolum parum egit, ſed etiam veritati adverſa dixit, qvum veteres focalibus pronunciationem impediri crediderint, optimo dicendi Magiſtro Fabio ſtatuente: Palliola et focalia ſola excuſare poteſt valetudo. Melius igitur egit Galeotus tacendo, quam Merula jactantisſimam promisſionem non implendo.

IX.

§. Vt vero ad accuratam Focalium cognitionem pertin-

pertingamus Horatium audiamus canentem:

Quaero: faciasne, quod olim
Mutatus Polemo? ponas insignia morbi
Fasciolas, Cubital, Focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas.

Hinc divinare licet, Polemonem contra solennem Graecorum morem, quippe voluptuosum et crapulae deditum hincque fluxionibus obnoxium, Focalia in remedium colli et tonsillarum adscivisse, ejusque vetustam imaginem Horatio sine dubio fuisse cognitam, quam MELANTHIVS pictor in libris de Pictura egregie descripserat. Id vero Polemoni in vitio fuisse positum ex Satyra Venusini, et ex Damasippi ad ejus exemplum compositi increpatione liquet. Post Horatium SENECA Focalia in morbo faucium, per intemperantiam attracto, adhibita docet: Ardentes, inquit, boletos dimittunt pene fumantes, ac raptim condimento suo mersatos, quos deinde restingvunt nivatis potionibus. Videtis, inquam, quosdam graciles, et palliolo, focalique circumdatos, pallentes et aegros non sorbere solum nivem, sed esse: Omnium optime MARTIALIS, qui primum Focalia nonnullis Oratoribus in actione constitutis adhibita confirmat, sed quod RADERVS addit, ad raucedinem impediendam. Potest illius usus exemplum AVRELIVS VICTOR suppeditare, Libro de Viris Jllustribus, in quo M. Philippum CS. adversus Leges Agrarias dicentem sistit, cui M. Livius Drusus ita in

Laert. L. IV. Ed: Menag. p. 156.

Seneca Nat. Qv. L. IV.

Mart. L. XIV Epigr. 142.

Con-

Concilio collum obtorsit, ut multum sangvinis e naribus efflueret: Iam illa colli obtorsio, si id nudum fuisset, fieri certe non poterat: quare exinde divinatur, Livium Drusum dicentis Philippi focale corripuisse et ad suffocationem constrinxisse: quod ipse Drusus postea liquidius expressit, cum de illa luxuria interrogatus responderet: eam esse muriam de turdo. Nempe Philippum cum turdo conferebat, cujus Fauces Focali ad sangvinis usque rupturam ad instar turdi laqueo irretiti compresserat. * Idem laudatus Martialis, quod magnus ille promissor Merula non observavit, quandam velut Focalium imaginem sisstit, dum ait:

Mart. L. IV. Epigr. 40.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?
Conveniunt nostris auribus illa magis.

Hinc nempe discimus, illa colli involucra seu Focalia ex vellere Tarentino vel Appulo confecta, nec inepte Interpreti per fascias laneas descripta fuisse, cumque iis propterea segmentis comparanda, quae ante aliquot lustra ex sciurorum pellibus confecta, inter colli

* Simile factum legimus in vita *Leonis Episcopi* Catanensis à Coaevo scripta: qui orario, Heliodori Magi fauces constrinxit, et ad rogum deduxit: *ad Heliodorum festinat eique orarium suum in collo innectit dicens*: per Christum Dominum meum, nihil hic valebunt artes magicae tuae, deduxitque ad locum, cui nomen Achilleus, ibique flammis adurendum dedit. Acta Sanctorum T. III. Febr. p. 225.

colli ornamenta vidimus. Propterea tamen non existimandum, hanc focalium consvetudinem, inter insignia morbi relatam, omnibus fuisse solennem, sed in vitio potius positam, et ab Oratore, partibus suis egregie functuro, plane proscriptam.

X.

§. Proinde qvum certum sit, e Focalibus aegrotantium Ornatus hujus Sacerdotalis stirpem repeti non posse: videndum, quantopere peccent, qui ex Collarium vocabulo aliquod auctoramentum petunt, hodieque illam vestitus sacri partem commode designari posse existimant. Profecto quousque ad veterum libros nostra lectione pervenimus, nunquam deprehendimus, collare quoddam vel ornamentum vel vestimentum Colli fuisse: sed servile potius vinculum mancipiis, et mastigiis coercendis plectendisque inventum. Unde apud PLAVTVM in ludo captivorum, Collaria in genere foemineo hoc sensu accipitur: *Hoc quidem haud molestum est mihi, quod Collum collaria caret*: et apud Lucilium copiosum alias tragoediarum auctorem, sed hodie plane ad incitas redactum. *Varroni* vero ita dicitur segmentum canibus circumdari solitum, cui NONNIVS, eandem huic voci vim impertiens, suffragatur. Ut adeo nobis venia a Lectore sit expetenda, quod de isto ornamento dicturi, magis ad vulgi consvetudinem, quam ad Leges eruditorum respexerimus, coacti nempe, qvum apud antiquos isto ornatu carentes non reperiatur

Jani Gvil. Laurenbergii Antiqvarius. edit. Lugd. 1622.

vocabulum, quod praesentis seculi ornamento imponi queat.

XI.

§. Nec opus erit, ut alias voces huc forte quadrantes longius investigemus: de Orario tamen taceri non debet *, qvum illud a quibusdam pro Collari habitum fuerit, aliis nihilominus in alias sententias abeuntibus, ut raro vocabulum inveniatur, quod tantam, quantum hoc, disceptandi materiam eruditis suppeditaverit. Bene autem CASAVBONVS ait, Orarium fuisse Sudarium, quod ARNOBIO munctorium, PRVDENTIO Oris pignus, aliis mappa dicebatur. Augustin. de Civit. Dei L.22. cap. VIII. §. 7. Augustinus innuit Orarium fuisse fasciam in longum protensam, qvum eo adolescentis cujusdam oculus excussus, cavernaeqve suae redditus fuerit, colligatus. Id quod ex *Actis Martyrum* certius constat, in quibus legitur, Martyrum ad cervicis incisionem damnatorum oculos Orariis contectos fuisse. Periculum ejus rei fecerunt Nicander et Martianus, de quibus Acta

* Oraria olim non nisi mappulae fuerunt, de quibus post Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, HVGO MENARDVS ad librum Sacramentorum Gregorii T. III. Operum, Nota 736. et IOANNES BONA Cardinalis Rer. Liturg. L. I. C. 24. p. 282. prolixe admodum egerunt. Nos addimus illarum mappularum magnum olim fuisse usum, unde omnes Gregorii M. Sacerdotes his ornati incedebant, quos ideo IOANNES DIACONVS Planetatos et Mappulatos dixit in vita Greg. L. II. Cap. V.

Acta ex Cod. Vaticano depromta ſcribunt ο δε ςρατιωτης περιθεις ωραριον τοις οφθαλμοις των μακαριων. Quaeſtionarius accipiens duo oraria ligavit oculos beatiſſimorum Martyrum. A quibus paululum diſtat ADENVLFVS ſummus Capuanorum Praeſul qui hanc oculorum velationem non carnifici ſed ipſis Martyribus ſibi hanc opem invicem praeſtantibus adſcribit: aſſumentesque oraria duo, ſibi oculos ligaverunt. De Waldenſibus RAINERVS, ſed non ſine calumniae ſuſpicione tradit, illos, homines moribundos Orario ſeu manutergio poſt impoſitionem manuum ſuffocare. Verum etſi Oraria ejus eſſent longitudinis, ut vel capiti vel collo circumfundi poſſent, collarium tamen uſum non obtinuere. De SATYRO, AMBROSII Mediolenſium Praeſulis fratre, in Oratione Funebri per Fratrem habita legimus, quod naufragio proximus, ſanctũ Euchariſtiae panem orario implicitum collo applicuerit: Ligari fecit in orario, et Orarium involvit in collo, atque ſe dejecit. Haec ipſa tamen Ambroſii verba declarant, Satyrum Orarii ad collum applicatione aliquid inſoliti feciſſe, idque eo fine, ut creditum ſibi ex benedicto pane auxilium tanto vicinius foret.

Act. Sanct. T. 3. p. 273. et 276.

Bibl. Patr. Max. T. XXV. p. 272.

XII.

§. Poſtea factum, ut in Eccleſia Chriſtiana Oraria ſacerdotibus ſacra celebrantibus adhiberentur, unde in vetuſtis Picturis et Statuis Presbyteri Diaconive iis ab humero dependentibus depingebantur. Cumque paulo poſt Praeſules diſcriminis vel ſuperbiae

 gratia

gratia duobus uti mallent, id Concilio Toletano IV. Canone XXXIX. interdictum fuit. Haec ipsa tamen Oraria a Sacerdotibus adscita cum Collaribus nihil commune habebant: etsi enim humeris imponerentur, attamen scapulis magis quam Collo insidebant, largiusque ad pectus et umbilicum, imo ad genua usque defluebant, Crucisque figuram referebant, quod GVLIELMVS BEVEREGIVS ad Canonem XXII. Concilii Laodiceni operose ostendit: eodem loco figuram eorum, et ornatum, usumque sacrum, et significatum mysticum ex Simeone Thessalonicensi copiose describens. Quorum si quis acuratissimam cognitionem expetat, Ephemerides Graeco Moschas figuris incisas, aq; Historiographis Sanctorum publicatas inspiciat, nec habebit quod dubitet, Oraria collo licet circumdata, a Collaribus nimium quantum distincta fuisse. Nihil etiam ad Collaria pertinent amuleta collo apposita, qualia quondam ex vestibus Dianae composita Callinicus in vita HYPATII Abbatis in Rufinianis commemorat, sub ζώνης τριδακτυλαιας nomine. De hac enim Zona verisimilius est, ipsam medium potius hominis circumdedisse corpus, quam collum: Cetera amuleta tenui filo pectori appendebantur, ut in Collarium censum plane referri nequeant. Obiter monemus, illam Majorum, in fictitium Dianae Numen, superstitionem egregie descriptam esse a PETRO CASTELLANO Grandimontensi, libro

Bevereg. in Can. Conc. T. 2. Not. p. 199.

Acta. S. Men. Jun. T. 3. p. 340.

lectu

lectu dignisſimo, cui Eortologias Titulum impoſuit.*

XIII.

§. Certum ex eo, veteres ea colli tegumenta omnino ignoraſſe : quare videndum , an reliqui Reipublicae Chriſtianae Proceres tale quid invenerint. Equidem tam inepti Veterum ſtatuarum Pictores ſculptoresve reperiuntur, qui eas Collaribus, vel Focalibus ornent : quod ſecundo Romanorum Pontifici Lino con-

* Cum hoc ornamento noſtro non componi debet BAVARA, ſeu BAVAROLA , quod vocabulum in vita S. Catharinae Senenſis a Fr. DIONYSIO PALAEOTTO Italice ſcripta, perque IOANNEM ANTONIVM FLAMINIVM latine reddita legitur. Id veſtimenti genus ſic explicant Hiſtoriographi Sanctorum, quod ſit lineus pannus ab aure ad aurem mento ſubtenſus, colli ac pectoris nuda decenter obtegens. Nomen a BAVA derivant, ſeu ſputo, eaque propter inventum dicunt, ne ſanctimoniales oris effluvio veſtes inquinarent. Quanquam enim illud CHRISTOPHORVS MANSVETVS Lingva Italica SOTTOGOLAM dixerit , ex altera tamen Catharinae vita, per P. JACOBVM GRASSETVM compoſita ſatis judicari poteſt, nullum Bavarae cum Collaribus commercium eſſe. Conjicio, inquit HENSCHENIVS, monialibus defunctis BAVARAM a mento verſus pectus defluentem, tum , cum terra injicienda eſſet, ſuper vultum attractam eſſe: quemadmodum in defunctis ſacerdotibus videmus , capitis amictum, retractum a Collo, ſuper faciem replicari.

contigit, cui qvum alia ſint ſuppoſita ingenii monumenta, vana et falſa, quod editores Actorum de Sanctis agnoſcunt, mirandum non eſt, idem illius ſimulacro contigiſſe, cujus collum pene ad praeſentis ſeculi morem faſcia circumdederunt: quod liquet ex pictura in IOANNIS PALATII Vitis Pontificum allata, quam tamen Impoſtor germanam agnoſcit, magnam inde eruditis ridendi materiam praebens, probe ſcientibus, Lini Pontificis aetate, colli contegendi morem non obtinuiſſe, neque ipſum Praeſulem tam curioſum veſtitus fuiſſe artificem, ut novam amiciendi formam excogitatam vellet. Vnde ſatius erat effigiem ejus ad Petri * ſimilitudinem fuiſſe compoſitam

* Effigies Petri nudo collo deſcripta apud Palatium ab initio operis reperitur. ALEMANNVS eam libro laudato p. 57. ſiſtit. Mabilio Annal Bened T. I. p. 550. disquirens, de trium clavium manibus Petri inditarum ſignificatu. Acta Sanctorum Junii T. v. p. 434. Papebrochius feſtivam de illa Petri ſtatua hiſtoriam profert: Stat illa Petri Statua in eam altitudinem elevata, ut quivis accedentium commode poſſit osculari pedem, quod paſſim faciunt, quotquot ad confeſſionem Apoſtolicam accedunt: cui piae devotioni illuſurus Anno 1628. Io. Antonius Stafetta procax adoleſcens, quum ipſum pedem foetenti quodam lacte oblivifſet, ad riſum ex averſantium, poſt oscula, motu capiendum; cecidit ex aenea illa, quae ſuperſtat machina, diſperſoque cum ſangvine cerebro totum pavimentum inqvinavit, ad aliorum exemplum.

compositam, quam collo nudo et PALATIVS, et PAVLVS ANGELVS in actis sanctorum, et NICOLAVS ALEMANNVS in erudito de Parietinis Lateranensibus Libro et ex eo IOANNES MABILIO in Annalibus Benedictinis exhibuerunt.

XIV.

§. Neque vero etiam secula posteriora tale quid ostentant, vulgo, antiquis et patriis ritibus insistente, Sacerdotibus vero ad aliud quidem vestitus genus sensim dilabentibus, collo tamen ab his novitatibus alieno. Constat ipsos ad usque seculi III. initia communi vestitu fuisse contectos, atque inde Philosophicum pallium induisse. Eusebius de Heracla Presbytero Alexandrino: κοινῃ προτερον εσθητι χρωμενος, αποδυσαμενος και φιλοσοφον αναλαβων σχημα μεχρι τȣ δευρο τηρει. Ad quae verba HENRICVS VALESIVS scribit: ex his apparet, nullum etiam tum peculiarem fuisse vestitum Clericorum, quandoquidem Heraclas Philosophicum habitum retinuit. Adstipulatur Gallo CLAVDIVS SALMASIVS in eruditis ad Pallium Tertulliani Notis: Hic mos ait, et usus pallii in Presbyteris plerisque circa tempora Tertulliani fere obtinuit, cui GVILELMVS BEVEREGIVS pollicem premit. Nuper admodum Samuel BASNAGIVS in Annalibus Ecclesiasticis ad eundem Heraclam delatus, idem addita quorundam exemplorum accessione confirmat. Annal. Eccl. A. CCIV. §.IV.

Eufeb. L. VI. c. 19.

Cl. Salm. ad Pall. Tertul.

Gv. Bever. ad Conc. Gangren. Can. XII.

T. 2. p. 185

Quod

XV.

§. Quod si ad seculum IV. abeatur, occurrent Synodi Gangrensis Canones adversus EUSTATHIUM SEBASTENUM constituti : cujus Synodi annus decretorius etsi certo designari nequeat, multum inter se digladiantibus VALESIO, BEVEREGIO, PAGIO, longius tamen ab initiis Seculi IV. removeri non potest. Ex eo constat Eustathium Sebastenum ξενα αμφιεσματα επι καταπτωση της κοινοτητος των αμφιεσματων συναγαγεσθαι: communibus vestibus spretis novos et insolitos habitus adsumsisse. Ejusdem Synodi Canone XII. Patres sanciunt : si quis Vir, propter eam, quae existimatur, pietatis exercitationem περιβολαιω utitur, ως αν εκ τουτου την δικαιοσυνην εχων, et condemnet eos, qui cum pietate Birros ferunt, et alia communi et consueta veste utuntur, anathema sit. Ex utroque loco tantum comprehendimus, Sacerdotes plerosque veste peculiari a vulgo non distinctos fuisse: Eustathium primum instituisse το ρακενδυτειν ut BALSAMON explicat, quum ISIDORUS MERCATOR, et DIONYSIUS EXIGUUS pallium Philosophicum interpretentur. Ubi mirari subit, quare illam in vestitu singularitatem Gangrenses rejecerint, si, quod Beveregius cupit, et Servator, et Petrus, et omnes Apostoli τριβωνοφοροι fuerint. Unde potius existimo, Eustathianos diverso plane vestitu, non Pallio Philosophico circumdatos fuisse, quemadmodum Sozomenus innuit, eos χιτωνας συνηθεις και στολας μη ανεχομενους,

Ant. Pagi. Crit. in Ann. Bar. Ao. 319.

Balf. ad Can. XII. Concilii Gangr. p. 421. 422.

νυς ξενη και ανθη εσθητι χρωμενυς, consvetas abjecisse vestes, et peregrinas insolitasque induisse: ac forte Judaicas, quibus ea gens inter sacrificandum fuerat usa, restituisse, quod sub Gregorio M. Arsenius Hortensium Praesul teste Ioanne Diacono iterum ausus est. Tanto autem libentius ad eam opinionem verto, quanto certius novi, το περιβολαιον, in Eustathianis rejectum cum Philosophico habitu haudquaquam convenire, quippe quod splendidius vestimentum, et ad novi Coeli *, imaginem praesentandam a Paulo exhibitum, adeoque, quanta quanta fuerit Balsamonis auctoritas, per το ρακος et ρακενδυτειν male translatum esse.

Io. Diac. l. 4. c. 50.

XVI.

§. Sub initiis Seculi V. Coelestino I. Pontifice Theodosii Iunioris temporibus Episcopi Provinciarum, Narbonensis et Viennensis, certum sibi vestitum arrogasse videntur, quod ex epistola Coelestini ad eos missa, nuperque admodum in Codice Canonum Ecclesiae Romanae ex Msc. Thuaneo et Oxoniensi per Paschasium Quesnellium publicato apparet. Verba

Qvesnell. O. Leonis T. 2. p. 133.

D

* Verba Apostoli Pauli Ep. ad Hebr. Cap. I. v. 12. ωσει περιβολαιον ελιξεις, qvum in iisdem et veteris Coeli abolitio, et alterius novi et excellentioris restitutio contineatur, commode et ad mentem Graecorum explicari possunt, *ut vestimentum splendidum et acu pictum exornabis*: quod peculiari Dissertatione ostendetur.

Verba Coeleſtini haec ſunt: Didicimus, quosdam Dei Sacerdotes, ſuperſtitioſo potius cultui ſervire, quam mentis vel fidei puritati: Sed non mirum, ſi contra Eccleſiaſticum morem, qui in Eccleſia non creverunt, ſed alio venientes itinere, ſecum haec in Eccleſiam, quae in alia converſatione habuerant, intulerunt: amicti pallio, et lumbos praecincti, credentes, ſe ſcripturae fidem non per ſpiritum, ſed per literam expleturos: pauloque poſt: habeant forſitan tamen iſtum cultum, morem potius, quam rationem ſequentes, qui ſemotioribus habitant locis, et procul a ceteris degunt: unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque Pontificum in alterum habitum conſvetudo vertatur? Diſcernendi a plebe vel ceteris ſumus doctrina, non veſte, converſatione, non habitu, mentis puritate, non cultu. Nam ſi ſtudere inceperimus novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere: docendi enim potius ſunt, quam ludendi: nec imponendum eorum eſt oculis, ſed mentibus infundenda praecepta ſunt. Erant quidem multa, quae pro diſciplina Eccleſiaſtica, vel ipſius rei dicere ratione poſſemus: ſed ab his ad alia devocamur. Hucusque Coeleſtinus, de quo, licet optandum, ut uberiore Stylo veſtitum Sacerdotum diſcusſiſſet: ſufficiat tamen oſtendiſſe, Clericos non alia ratione, niſi doctrina, converſatione ſancta, et mentis

mentis puritate a vulgo diſtingvi debere: ceteris rebus et ſanctitatis affectationibus plebem decipi atque deludi.

XVII.

§. Seculo VI. propemodum finiente, quaedam adhuc Clericis libertas reſtitit, amictu quo vellent, utendi, quam SYNODVS NARBONENSIS Anno DLXXXIX. ſub RECAREDO, et PELAGIO II. Pontifice habita reſtrinxit, Canone I. interdicens, ne quis Clericus veſtimenta purpurea induat, quae ad iactantiam pertineant mundialem, non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente, ſic oſtendatur in corpore. Huc usque Synodus: quod vero ad Collum pertinet, illud antiquam retinuiſſe libertatem omnino exiſtimari debet. Equidem CAROLVS MACER, in auctiore fratris ſui HIERO LEXICO ad vocem BACVLVS EPISCOP: GREGORII M. Seculo VI. finiente, et VII. inchoante, ſedentis, Statuam profert, cuius collum collari criſpato, circumdatum, tubulis acuminatis, ſic, ut ferme Heliotropii, floris, orbem referat: eamque MACER ex CIACCONIO ſeſe accepiſſe profitetur. Sed bene admodum DANIEL PAPEBROCHIVS in *Conatu Chronologico ad Catalogum* Pontificum ſuſpicatur, eam GREGORIO M. vivente non fuiſſe expreſſam, licet tabula quadrata ad verticem appoſita, quandam vetuſtatem ſapiat, Non immerito, ait, formido, ne ſaepius ſuum ingenium ſecuti ſint pictores, quam certum ul-

Mac. Hierolex.

Papebr. l.cit.p.90.

lum monumentum. Nam et Pallium, quo S. SYLVESTRVM et multos ejus successores amicit CAVALLERIVS, praeter usum antiquitatis est, nec alia ejus forma, quam quali hic induitur GREGORIVS, facile invenietur ante Seculum XII. Neque ad Collaris antiquitatem probandam quicquam facit, quod de KENTIGERNO ejusdem seculi Episcopo Glascuensi apud Hybernos, in vita per Anonymum scripta, et a IOANNE CAPGRAVIO allata, legitur: Vir Dei, nimium tandem senectute confectus, cum nervorum compago pene emarcens dissoluta fuisset, quodam *subligari Lineo* per medium capitis, et de sub mento circumducto, mentum et maxillas sustentavit, ut ad proferendum quae vellet expeditior redderetur: Id enim ad tempus, urgenteque necessitate, non ex consvetudine factum cuivis apparebit.

XVIII.

§. Seculo demum VII. finiente quaedam sese pandunt vestigia, Clericis peculiarem a populo habitum imperatum fuisse, quod ex Canone XXVII. Concilii VI. in Trullo habiti confirmatur. Nullus eorum, ait, qui in Cleri Catalogum relati sunt, vestem sibi non convenientem induat, neque in Civitate degens, neque iter ingrediens: sed utatur vestibus, quae antehac iis, qui in Clerum relati sunt, attributae fuere: quod firmum est testimonium, Clero primum, inter sacros templi parietes ministranti, vestes esse datas, accedente ad fidem faciendam Augustino in sermonibus: deinde

deinde extra ſanctas porticus verſanti , tanquam omnino neceſſarias, imperatas fuiſſe. Suffragatur nobis Concilii VII. Oecumenici, ſeu Nicaeni II. Canon XVI. Omnis luxus βλακεια, και σωματικη κοσμησις a ſacerdotali ordine exulet. Epiſcopos ergo, vel Clericos, qui ſe ſplendidis et inſignibus veſtibus exornant, ſe corrigere oportet : ſin autem permaneant, coerceri. Pauloque poſt: a ſuperioribus enim usque temporibus omnis vir ſacratus cum moderato et honeſto indumento verſabatur. BALSAMON eruditiſſimus Canonum interpres, in notis ad hanc legem obſervat, illius aetatis ſacerdotes nimium ſibi ſplendorem circumjeciſſe, contraque mores veterum, Metaxatis et veſtibus ſamittis uſos: horum inſolentiam praeſenti Canone, aeternae Legis vim obtenturo, proſcriptam eſſe. Idem Praeſul has Sacerdotum veſtes profligatas enarrans, oſtendit inter eas fuiſſe επιβληματα ετεροχροα εν τοις ακροις των ιματιων, ηγουν μαργελια, αντιπανα, χρυσοπαστα, και γραμματα πολυτελει χρυσα: quae omnia ad inferiores vel circumfluentes veſtium et palliorum fimbrias pertinuiſſe putandum, quandoquidem omnes Veterum Statuae, Jcones, et Picturae collum adhuc ab omni involucro vacuum exhibent.

ap. Bevereg. T. I. p. 319

XIX.

§. Seculo IX. Anno nempe Servatoris DCCCXVII. Synodus Aquisgrani celebrata, Canone XXII. veſtes Monachorum recenſet, quas inter Fasciolae deprehenduntur, a nonnullis inter colli ornamenta ſacer-

cerdotalia , ſed perperam relatae, Hieronymo forte anſam praebente , dum ſcriberet : crebra munuſcula et ſudariola , et faſciolas, veſtes ori applicitas, blandasque et dulces literlulas ſanctus amor non habet. Nempe exiſtimarunt, Hieronymum Fasciolas , per veſtes ori admotas, tanquam per επεξηγησιν explicaſſe. Cui errori Carolus de Fraxinis in Gloſſario aeternitate digniſſimo occurrit, docuitque Monachos, alias doctiſſimos, Lucam Dacherium, et Benedictum Hafftenium Affligemienſem, ex Bernardo, Lanfranco, Udalrici Conſvetudinibus Cluniacenſibus, ex Synodo Cloveshovenſi A. DCCXLVII. habita, tum ex Ulpiano, Eginhardo, et Monacho Sangallenſi fasciolas illas, non inter colli, ſed crurum ligaturas pertinuiſſe. Neque vero etiam Monachi ullo colli tegumento indigere videbantur, quippe qui eo veſtitus genere uti coeperant, quo, quandocunque vellent , totum caput contegi poſſet, cucullo nempe, pallio, vel veſtibus addito: qvo rejecto , etſi anterior colli pars nuda ſpectaretur, cervix tamen et occipitium ex panno in rugas conjecto ſatis munimenti adverſus frigoris habebat impetum, quemadmodum ex Imaginibus, a Mabillonio Annalibus Benedictinorum intextis, videre licet. Nec recordamur quicquam ab iis eo duntaxat tempore mutatum , ſi ſodalitatem Gvaſtallianorum exceperis, qui multo poſt lintei loco, fune collum circumdedere, ſuisque pariter et aliis hoc inſolenti more ludibrii copiam praebuerunt.

XX.

XX.

§. Quae feculum IX. excipiunt tempora, etfi variis morum vicisfitudinibus fuerint agitata, nullam tamen collo perniciem aut legem dederunt, qvippe qvod in omnibus picturis nudum fefe exerit. Extant imagines innumerorum Sanctorum in Ephemeridibus Graeco Moschis, quas Daniel Papebrochius a CL. Jureconfulto Batavo, Laurentio van der Hemm auro minioque depictas accipiens, forma veftium diligentisfime fervata, maximo cum eruditorum applaufu in aes incidi curavit, Menfisqve Maji Tomo I. praefixit: inter quas tamen ne una quidem comperitur, cuius collum aliquo tegumento fit involutum. Quibus addo Librum Legum Palatinarum Iacobi II. Majoricenfium Regis A. R. S. MCCCXXX. fcriptum, auro minioqve exornatum, deque Miniftris Palatii tradentem, qvorum qvisqve Imagine, veftitum et muneris fui partes referente, fignatus eft. Etfi vero veftes quodammodo ad praefentis feculi morem contectae appareant, colla nihilominus omni ornamento carent. Atque inde divinamus Collarium morem fi qua illo feculo fuerit invectus, apud pauciffimos tamen hactenus fuiffe receptum. Quo magis miramur, Pontifices feculo XIV. antiquiores, a Ioanne Palatio aut aliis quibusdam ita defcriptos fuiffe. Namque Siricius cum indufio ad collum corrugato contractoqve, fed collo nudo: Leo M. angufto focali, fed gutture prominente: Hilarius indumento largius in humeris

humeris explicato: Symmachus corrugato, et canaliculatim dispofito, una cum aliqvot aliis fiftuntur.

XXI.

§. Qvare qvum illorum picturae tanqvam minus germanae refpuantur: fidem fane meretur imago Gregorii XI. cujus indufium innumeris crifpaturis ad mentum usqve erigitur. Erat ille Gvilelmi Comitis Bellefortii filius, Jureconfultus et Juvenis, unde non mirum tam infolenti habitu incesfiffe. Non enim fictitium effe illud ornamentum, ex aliis ejus aetatis Imaginibus conftat, qvarum qvasdam Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum in Catalogos Pontificum exhibet, inprimis Richardi de Ricardinis Canonici Neapolitani A. R. S. MCCCLXVIII. defuncti, cujus collum eodem quo Gregorii XI. ornamento fuperbit. Qvod qvum mirabundus aspiceret Hiftoriographus fanctorum: animadverto, inquit, quod Richardus de Riccardinis, collum, aliis, etiam Mediolanenfibus nudum, perquam feculariter ornatum habeat, *rotulo lineo crispato*, quali noftra memoria viri ac matronae graves in Belgio, Galliaque utebantur. Gregorium Pontificem pofteri usque ad Bonifacium IX. e Thomacellorum et Cyborum genere natum, eumque Juvenem, imitati non funt, neglecto iterum Bonifacii more, usque ad Ioannem XXI. (qvi et XXIII. et XIV. dicitur) Neapolitanum, quem Palatius et Hermannus van der Hardt T. IV. Concilii Conftantienfis indufio ad collum ingentibus

Papebr. l. cit. p. 97.

fpiris

ſpiris criſpato ſiſtunt. Qui veſtiendi ritus plane Ecclesiaſticus non erat, ſed profanis et militaribus Viris et exercituum Ducibus ſolennis, unde in ejusdem Concilii T. V. Albertus II. Saxoniae dux, et Adolphus Dux Cliviae, ab Imperatore Sigismundo ducalem dignitatem adeptus, lorica et pallio indutus, eodem quo Ioannes Pontifex ornamenti genere uſus depingitur. Eam vaeſaniam mox latius proſerpſiſſe, e Conciliorum prohibitoriis legibus liqvet, qvas jam ſuo ordine recenſebimus.

XXII.

§. Primum pro coercendis, in Clericorum ordine, Collaribus tubulatis Pariſiis apud Bernarditas Año MCCCCXXVIII habitum fuit, quod verbis quidem aſperis, barbariemqve ſapientibus, attamen perſpicuis, illud colli decus interdixit: *ne portent magnos colletos reverſos, ſed nec nimia brevitate aut longitudine notandos.* CAROLVS BORROMEVS Sanctorum cohorti accenſus, edicto primum Anno MDLXVI edito, ac deinde Synodo Mediolani habita, A. MDLXXIV. Camiſias lactucatas omnino vetuit. Synodus Taurinenſis AMDLXXV ſtatuit: *non portarono camiſie con latuche al collo, ne alle mani ne alcuno notabile laboro. Octavius Frangipanus* Apoſtolicae Sedis Legatus per Germaniam in *Directorio Coloniensi*: interulae nec ad collum, nec ad manum rugoſae ſint aut pictae, ſed planae, et nullo artificio ornatae, et quae eos a Laicis aperte diſtingvat. SYNODVS VENETA, A. MD LXXXI. ſub IOANNE TREVISANO Patriarcha Veneto: Camiſias ad collum et ad manus crispas et rugoſas,

E

gosas, vel artificiose elaboratas, et quas vocant nimfatas et lactucatas abjiciant. Collare quod vocant simplex et modice latum reclinetur. *Synodus Collensis* sub *Usumbardo Usumbardi:* Anno MDXCIV. Interulas seu Camisias ad collum crispas, fabrefactas, aut aliqua texturae arte compositas non habeant: sed collaria sint simplicia, plana et modice lata, quae honeste et apte super veste reflectantur. *Synodus Amerina* A MDXCV. Lineas interiores tunicas nemo collum circa crispatas rugosasque, non artificiosius elaboratas habeat, sed quarum Collare simplex et modice latum paulatim reclinetur. *Synodus Concordiensis*, A. MDLXXI. a MATHAEO SANUTO habita in eandem sententiam conspirat. FABRICIUS GALLUS Episcopus Nolanus A. MDLXXXVIII. Interulae collo et pulsis non emineant crispae, vel ut ajunt lactucatae, sed simplices tantum reflectantur. PHILIPPUS SEGA Episcopus Placentinus Ao MDLXXXIX. Collaria sint simplicia, plana, modice lata, et ex communi tela confecta, et quae honeste et apte reflectantur. PTOLOMEUS, Cardinalis et Episcopus Sabinensis A. MDXC. Indusia at manus crispa non sint. *Laurentius Priolus* Patriarcha Venetus et Dalmatiae Primas, A. MDXCII. Tunicas interiores apto modo per collum clausas, non in tergum a cervicibus reflexas induant. *Bernardus Benedictus*, Episcopus Castellanus A MDXCV. Collare quod dicunt, et tela, quae ad manus reclinatur, simplex sit et modeste lata, non rugosa, et quae superfluum redoleat artificium. *Concilium Aquense*, Ao MDXCVI. Colla-

ria

ria Camiſiarum quocunque modo criſpata ſeu laciniata damnat, et perſonis clericalibus minime convenire putat. *Concilium Cameracenſe* A. MDLXXXVI. ſub *Franciſco Bonhomio* Legato Apoſtolico, et *Ludovico de Barlamonte* Archiflamine celebratum: Collaria induſiorum ejusmodi habeant, quae modeſtiam Clericalem ſapiant, Clericosque a ſecularibus et maxime mundanis hominibus aperte diſtingvant. Proinde omnibus in univerſum Clericis deinceps induſia ſeu ad collum ſeu ad manus criſpata haec Synodus interdicit.

XXIII.

§. Eadem ſeveritate Collaria criſpata inchoante ſeculo XVII. interdicta fuere. Extant Canones *Synodi Auguſtanae*: Collaria non ſint criſpata non nimium elaborata, vel acu picta, nec in latitudinem expanſa aut directa, ſed plana: Synodi *Imolenſis et Nebbienſis* A MDCXIV: *Venuſinae*, auspiciis *Andreae Perbenedicti* eodem anno habitae: Collaria ſint ſimplicia, plana, modice lata et non criſpata, ſeu artificio elaborata, ſed ex communi tela confecta: *Synodi Florentinae ſub Alexandro Martio Mediceo* Ao MDCXIX. ſtatuentis: extremae ſubucularum partes, ad manus et collum prominentes, lactucatae ne ſint, ſeu pinnatae vel cremore et dente levigatae ſed parum inverſae ac ſimplices: Synodi *Tarviſinae* ſub *Franciſco Iuſtiniano* eodem anno celebratae: Collaria tam veſtis et pallii, quam ſubucula, non nimis grandia ſint: eaque in re, non ſecularis aemulatio, non ambitio redundans, ſed modeſtus quidam ornatus, et elegans

munditics appareat: Concilii Burdegalensis sub Francisco Cardinali de Surdis habiti, A. MDCXX. postquam certiores facti sumus, quod non obstantibus omnibus Constitutionibus nostris Sacerdotes nonnulli gestent *Rabats empesez*, quae in sacellis, sacrum facturi deponant, peractisque Missarum solemnibus, recipiant: Nos prohibemus omnibus Curatis et Sacerdotibus, ne his, qui ejusmodi Collaria gestant, sacra celebrare permittant: et alterius *Burdegalensis* sub *Vrbano* VIII. Pontifice, Ao. MDCXXIV. congregati: Ne rotunda, quam vocant, collo applicata extet ad collaria dilatanda, sed brevia sint illa, et deorsum modeste inclinata. Idem vetuit, ne collaria sint denticulata, non tincta, sed solummodo coloris albi: *Synodi Torcellanae* sub *Marco Zenone* Episcopo congressae: Collaria Camisiarum simplicia sint et modesta non elaborata, non crispata, sed plana et munda, quae non amplius quam duobus digitis ad collum et ad manus reflectantur: *Synodi Ebroicensis* sub *Petro de Magarola*: *Bononiensis* sub *Hieronymo Columna* MDCXXXIV. *Cadurcensis sub Alano Solminiaco* Ao MDCXXXVIII. *Amalphitanae sub Angelo Pico*: *Grassensis et Venciensis* sub *Antonio Godello* Ao MDCXLIV. *Ebroicensis* sub *Francisco de Perigrad* habitae, ac tandem sacerdotalis *libri Rothomagensis, Francisci Harlaei* Archiepiscopi jussu, MDCL. editi, praecipientis, ut collaribus ita brevibus Sacerdotes utantur, ne superpellicei, stolae, vel cappae summitatem attingant. Nempe tot Conciliis opus erat, ut collaria canaliculata, atque illae ad manus subucularum crispaturae proscriberentur: quod

quod merito admiramur, qvum utraque fere Pontifices auctores habeant, et quod ad crispaturas manuum pertinet, etiam tum ab iis fuerint usitatae, qvum statuis Synodorum profligarentur. Id quod ex pictura Pii V. Pontificis, satis cognoscitur, qvippe cujus ad manus fimbriae, acu pictae, summoque artificio contextae cernuntur. De qva non dubitandum, esse omnino germanam, quandoquidem *Papebrochius* affirmat hanc multo esse accuratiorem, ea, quam rudibus lineamentis Cavallerius repraesentandam curaverit, et plane talem, qualis in ipsius Beatificatione Romae fuerit exposita, et ab *Abrahamo Bzovio* Annalium Ecclesiasticorum Continuatore, Tomo Postumo Rerum in orbe Christiano ab Anno MDLXVI. usqve ad MDLXXII. sub Pio V. gestarum praefixa.

vid. Papebr. Paralip. ad Con. p. 125.

XXIV.

§. Quod ad Anglicanam Ecclesiam pertinet, quae Episcoporum consiliis regitur, illa has Pontificiorum censuras imitata non fuit, sed collaria retinuit, imo etiam imperavit. Exstat Constitutionum A. R. S. MDCIII promulgatarum Canon LXXIV: ita sanciens: Statuimus et ordinamus, ut omnes Archiepiscopi et Episcopi consvetum ordinis sui habitum non intermittant. Similiter, ut omnes Decani, Togis cum *Collaribus erectis*, *manicisque* ad manum contractioribus vel laxioribus, prout in Academiis usitatum est, utantur ut et alii ministri ad idem munus admissi, vel admittendi, eodem vestitus genere utantur.

vid. Provinc. Lindvvood. L. 3. de Vit. et Hon. Cler.

Caldervv. de Eccl. Ang. Pol. Cap. 6. Ed. nova p. 653.

XXV.

XXV.

Nostra Ecclesia Lutheri Megalandri ope in melius restituta, certa quidem de collarium usu mandata non habet, qvum Vir Beatus conspicuo quodam colli tegumento non fuerit usus. Sive enim vestem illius Monasticam, quam cum Augustinianis sodalibus solennem habuerat, spectes, sive illam, qua desertis Pontificiorum tenebris ad Praedicatores propius accessit: nulla plane subuculae crispatura, nullum Focale canaliculatum apparet, nec planum etiam, quali hac tempestate divinae veritatis Praecones induuntur: quem Philippus Melanchton secutus est, fortassis et alii: attamen ipso etiam vivente plurimi istas indusii ad collum et manus crispaturas retinuerunt, quod creberrimae Icones ostendunt, interque eas Ioannis Mathesii gravissimi sacerdotis, et a vanitatibus seculi perquam alieni, cujus Imago Witebergae apud Georgium Brunonem edita, elegantique Balthasaris Menzii, Niemecensis carmine ornata, subuculae fimbriam tubulatam exhibet. Cui Hermanni Hammelmanni, integerrimi et eruditissimi Praesulis effigiem jungo, Chronico Oldenburgensi Anno MDXCV. praefixam, quae Virum Venerabilem, collari manicis canaliculatis indutum cathedrae insidentem statuit. Ac tenuere morem innumeri alii, quos ad medium usque seculi XVII. sive in Iconibus sive in Statuis consecratos, eo exornatos modo videre licet: ut taceam in pluribus civitatibus, tum Imperialibus, tum Municipalibus, eam tubulatorum collarium consvetudinem, praecipuum sacri civilisque ordinis ornamentum

tum haberi , quemadmodum apud Hamburgenses, Noribergenses, Augustanos aliosque constat, penes quos, vel sacri ordinis tantum, vel etiam ordinis Senatorii id certissimum signum haberi debet.

XXVI.

§. Quod si quaeratur, cur tanto studio apud quosdam illa Collaria corrugata, vel, quod Salmasio placet, frontiata, et caperata, contubulata, et canaliculata fuerint retenta; forte posset responderi, quandam inde sanctitatis opinionem quaesitam esse, ab his praecipue, qui scirent, Divos consecratos orbiculo radiato depingi solitos, vivorum vero, sed sanctitatis existimationem habentium capita, quadratis tabulis insignita fuisse: Quod Mabilionius his explicat verbis: Ad caput Ioannis Abbatis videas tabulam quadratam, quod viventium hominum piorum est insigne: non coronam, ut ad S. Benedicti, Beatis duntaxat, ac sanctis tribui solitam. Verum, qvummodo fuerit dictum, illam Collarium crispatorum consvetudinem ex usu communi retentam esse, haud quaquam asserendum, Majores nostros quandam sanctitatis larvam eo sibi induere voluisse: quod cognoscimus ex aliis vestitus generibus, pileis, vestibus pellitis, calceis, sine scrupulo retentis, etsi eorundem excogitatio Laicis deberetur. Accedit, quod studio nollent ad certum quoddam vestium genus adstringi, propterea quod in Ecclesia Anglicana quaedam de vestitu sacerdotum lites vigerent, contendentibus aliis non solum doctrina, sed etiam vestitu discessionem a Papatu faciendum esse: qua de re Zanchii Epistola ad

Io. Diac. L. IV. c. 86.
Mabillon. An. Ben. T. I. p. 122. Id. An. L. XXI. p. 528.

ad Reginam Elisabetham, hortatu quorundam Praesulum Anglicanorum adversus Sacerdotales vestes Anno MDLXXI. scripta, omnino legi meretur. In hac enim Controversia eo nostrates temperamento usi sunt, ut vestes sacerdotales non plane equidem respuerent, quemadmodum Reformatorum partium socii apud suos cupiebant, exque iis Davides Calderwood gravissimus Ceremoniarum sacrarum expugnator, quod ex omni illius de Politia Ecclesiae Anglicanae libro constat: nec tamen servili modo cultum Dei, quem λογικην λατρειαν noverant sine vestibus peragi posse censerent. Quare non levi nostros injuria adspersit acerrimus ille totius Ecclesiae Christianae insectator, caninus sub sacra toga Philosophus, et Timonis Sillographi aemulus Godofr. Arnoldus, quando ait: Gravitatis conciliandae gratia Sacerdotibus capillitium longum certumque vestitum imperatum esse: quod non nisi uno testimonio confirmat, moxque mendacium suum destruit, Georgii Spalatini exemplo declarans, gravissimos restitutae veritatis vindices non adeo ineptos fuisse, ut cardinem sanctitatis in vestitu collocarent, quamvis ille abesse non possit, nisi omnium Ordinum Ceremonias et Solennia convellere velimus. Itaque liberum Collarium tubulatorum usum permiserunt iis, qui jam jam hoc ornatu uterentur, aut uti vellent: mox liberrima ratione tanquam a re parum ad religionem referente discedendi copiam fecerunt. Cujus rei exemplum vicina nobis Annaeberga in Presule pie defuncto Hieronymo Dathenio Theologo non contemnendo praebet, cui canali-

Godofr. Arn. H. E. l. XVI. c. 15. §. 3.

canaliculatum Collare in pretio fuerat, quod tamen, ſimul ac cathedram aſcendiſſet Andreas Kunadus, Doctor Theologus celeberrimus , atque Clariſſimorum Majorum non impar Filius, meritis in Patriam ſpectatiſſimus , illico miſſum fecit, et Focale planum , frequentius apud nos uſurpari ſolitum, ſibi circumjecit.

XXVII.

§. Huius autem Collaris, plani et ſimplicis, ortum explicaturus , ultra ſeculum abire non poſſum, a quo tempore Politici primum homines difficultatem tubulatorum collarium averſantes, plana ſibi nec minus tamen incommoda excogitarunt. Nempe , ut collum hactenus hiſce ornamentis ſuperbierat, ita caput humanum faſtum Abſolonis imitando capillis ſeſe efferre geſtiebat, tum ſuis tum alienis in reticulo contextis. Sed quum Capillorum et comae prolixitatem ob Collarium impedimenta in ſpiras colligere homines cogerentur; placuit, huic ornamento comae, liberiorem evagandi copiam facere , depreſſis collarium nimis ſeſe erigentium criſtis. Atque inde primum collaria plana ac depreſſa , inque humeris explicata in uſu eſſe coeperunt; quibus ne ſuus deeſſet decor, atque aliunde reciperent, quod ſublatis tubulis ademtum erat: fimbriae denticulatae acuque pictae additae fuerunt. Ejusmodi collari plano infelix ille Anglorum Rex Carolus Stuartus amictus cernitur, quod cervice reſciſſa , magno auri pondere redemtum fuit. Ceterum Icones aſpicienti , mirum oppido videtur, quam varias ſibi Collarium planorum

Greg. Leti. vita Cromvvelli L. I. p. 52.

texturas Mortales invenerint : quibusdam ita ſupra humeros expanſis, ut totum fere tergum contegant: quibusdam tanto retium affabre factorum apparatu inſtructis, ut omnes in iis conficiendis Penelope acus contuliſſe credi posſit: quibusdam ſub mento, triremium roſtra, quadratasque tabulas referentibus, quaſi Solis abacus ſub gutture ſtructus foret. Quid Clericis in illa rerum vicisſitudine faciendum? inviti hercle, et quaſi flumine abrepti ad imitandam conſvetudinem abripiebantur: niſi quis denuo dicere malit, vulgus libidini, Clericos ſanctitati obtemperaſſe, quibus utique proclive erat, ſub illa quadratarum tabularum effigie quendam Sanctitatis typum invenire, reclamante licet Calderwodo, atque ingeminante : uſum myſticum ſignificandi, et commonefaciendi de officio noſtro, ſanctitate , et puritate mentis, probare nullo modo poſſumus.

Polit. Eccl. Angl. cap. X. p. 658.

XXVIII.

§. Theologorum noſtrorum quantum memoria aſſequi licet, primus collari plano et ſimplici, erecto tamen uſus eſt, Illuſtris merito ſuo Mathias Hoe ab Hoenegg, quod Icon illius in Poſtill. Evang. Ao MDC XII. edita confirmat: bono hercle inſtituto, laudabilique exemplo, cum illud ſummi viri ornamentum, omnibus reſectis vanitatibus, modeſtiae ſacerdotum optime conveniret: quem excipit Bulaeus planum et ſimplex atque depreſſum Focale praeferens, et ad ſcapulas quidem , ſed ſine artificio prorrectum. Tenuit exemplum magnus et incomparabilis Geierus, ſucceſſorque Lucius, cujus collare in longitudinem magis quam

quam latitudinem extenditur. Hinc omnes per universam prope Saxoniam Sacerdotes, Lipsiensibus exceptis, qui morem Majorum retinuerunt. Hoc Collarium planorum ortu repetito, dispiciendum, eorum gestatio, lege aut severiore svasu imperari possit nec ne? Quo cavendum loco censemus, ne ad hujus disquisitionis partem turbidos homines in consilium vocemus, quibus omnia displicent, quique omnem bonum ordinem et ευσχημοσυνην eversum eunt. Tales Seculo XII. et XIII. Waldenses fuisse perhibentur, qui nimiis ac superstitiosis Pontificiorum ritibus irritati, inanique pompae, et theatricis gesticulationibus infensi, omnem vestitum sacrum conculcarunt. Quod Rainerius malleus illorum his confirmat verbis: *Dicunt quod Christus non dederit Apostolis nec stolas, nec casulam, nec Infulas.* Quos merito Reinerius, modo de iisdem scripserit vera, refutavit. Neque etiam Puritanorum sententias requirendas puto, qui finiente seculo XVI. et XVII. inchoante, adversus Ecclesiae Anglicanae ritus, sanctionesque de vestibus latas, surrexerunt: quorum obtrectatio, ex inani nascebatur metu, quasi retentis antiquis vestibus, laciniae perversae doctrinae reducendae forent: quod utique vanum erat, qvum Christiani veteres profanorum templa servaverint, Idololatriam plane projecerint. Multo minus eos audiendos censeo, qui omnibus proturbatis ceremoniis, vestes praeterea sacerdotales miro turbine difflare gestiunt, quos inter Godofredus Arnoldus in Delineatione Christianismi, nimium, quantum eas agitavit: his nempe rationibus usi

Rain. contra Wald. Bibl. Pat. Max. T.25.p.226

Collarium morem nulla publica lege, ſed tacito quodam conſenſu introductum,olim fuiſſe profanum, non ubique receptum, quoad quantitatem mutabilem, a quibusdam lugentibus in Pyramidis inverſae formam mutatum, adeoque laetantibus eandem mutationem concedendam: idem ornamentum profanis adhiberi actionibus, haram et ſtabulum ab eo amictis circumiri: ſordibus et eduliorum micis, et poculorum guttis foedari: in iisdem choreas inſtitui, ut aliquando Sacerdotes in iis amptruantes et redamptruantes cernere liceat: multum praeterea incommodi faucibus creari, quae collaribus conſtrictae liberam deglutiendi ingurgitandique copiam non habeant: unde non ſine ludibrio hominum illa Collaria inter epulas divaricanda, quo nempe velitationes menſales tanto expeditius confici possint: adeoque illa braccarum et calceorum inſtar eſſe mutanda, vel in promiſcuis saltem hominum conventibus ponenda et exuenda.

XXIX.

§. Verum quod ad praecipuum harum objectionem pondus pertinet, Collaria vel divina, vel aliqua publica lege introducta non eſſe, id quidem facili poteſt negotio ſolvi aut declinari, modo in memoriam revocetur divinum Numen ubivis equidem, praecipue tamen in ſacerdotali ordine veſtium quandam ευσχημοσυνην flagitaſſe, ut adeo illa veſtitus honeſtas a profanis gentium ſacerdotibus, quod Arnoldus putat, fruſtra repetatur. Id quod conſtat e pluribus ſacrarum literarum teſtimoniis, quae, vel neglectum veſtium conſvetarum decus exprobrarunt: vel quae earundem

rundem honestatem declararunt. A Marco juvenis hujus decoris oblitus sistitur, qui Sindone relicta nudus aufugerat: ubi Roterdamus frustra ad Allegoriam digressus ait: quid est aliud hoc corpus, qvam animi vestimentum? Quoties Satanas manum injicit animae, neglige Sindonem et effuge: Marci enim institutum erat ostendere, Juvenem metu occupatum, omnis honestatis decorisque oblitum, vestium jactura vitam redemisse. Porro de Servatore constat, quod honestatem vestitus consvetudine firmatam servaverit. Quare etsi pedes discipulorũ loturus vestes ponat, mox tamen perfecto humilitatis exemplo easdem induit, declaraturus, externum qvoqve in vestitu decus observandum esse. Paulus Christi Interpres ευσχημοσύνην in Ecclesia versantibus commendavit, qvam ad vestitum pertinere pridem ex Coi Senis libello demonstratum fuit.

XXX.

§. His itaque atque fortassis aliis fundamentis nostra Ecclesia innitens, etsi de collo vestiendo, deque Collarium forma, singularem legem non dederit, illa tamen sub largioribus de Honestate Vestitus Sacerdotalis Regulis comprehensa existimari debet, quales Ecclesiae imponi posse vel ipsi adversarii fatentur asserendo: *Ecclesiae potestatem esse permissam in rerum et rituum administratione Canones generales dare in natura et scriptura fundatos, ut omnia fiant ordine et decenter.* Quod et fecit serenissimae et beatissimae memoriae Elector Augustus, Constit: Elect: Artic: Gen: XVI. p. 337. Sin vero alicui id non suffecerit,

fecerit, eum sane ad vim et excellentiam Consvetudinum licet deducere, quae si fuerint bonae, neque veritati aut honestati adversae, Legum vim obtinere solent, non solum apud Legum civilium conditores, sed eos etiam, qui ordini Sacerdotali jura dicunt.

Brunnem. L. I. c. 3. §. 8. Agnovit illud CL. Canonum Sacrorum Interpres Brunnemannus dum ait: Consvetudo in regimine Ecclesiastico, est pro lege observanda. *Ioh. Lud. Hartmannus* Rotenburgensium Praesul meritissimus, atque omnium judicio probatissimus: Verbi Minister, ait, diligenter attendat ad ea, quae non solum juxta agenda Ecclesiastica, sed etiam cuiusque loci consvetudinem fuerint observanda. Recte enim de ejusmodi Ceremoniis Augustinus Epistola CXVIII. ad Januarium: Mutatio consvetudinis, etiam quae utilitate adjuvat, novitate perturbat. Disciplina nulla melior est gravi prudentique ministro Ecclesiae, quam ut eo modo agat, quo agere viderit, aut antea egisse inaudierit Ecclesiam. Quod si in his novum quicquam susceperit: et contumaciam, et ἀταξίαν et arrogantiam, cum stultissima persvasione se plus quam alios sapere ostendet. Atque haec ipsa ad vestitum accommodanda esse laudatus Praesul, L. II. C. 2. de vestitu et Habitu Clericorum testatur: Vestitus pastoris gravitatem et modestiam prae se ferat, sicut decet Ministrum Dei: ac paulo post ex Hemmingio: *Vestis componatur juxta Pastorum laudatorum exempla.* Accuratissimus *Dannhauerus*, consvetudini, a probatioribus receptae magnam tribunt vim, eaque conscientiam obligari dicit, obligat, inquit, conscientia pro-

Hartm. p. 635.

et p. 271. 272.

robabilis, nixa rationibus et auctoritatibus ſapienum in Sphaera inferiorum rerum hujus ſeculi, civilibus, moralibus, adiaphoris, certa oracula diligenter quaeſita divina et particularia non habentibus, juxta illud Gratiani: de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, et inſtituta majorum pro Lege tenenda ſunt. Eandem piorum conſvetudinem in exemplum aliis adſciſcendam voluit gravisſimus et ſolertisſimus conſcientiarum excuſſor *Arnoldus Mengering*, qvum de Peccatis in VI. Praeceptum agit. Quibus *Triumviris* noſtris addo *Forbesium a Corſe Hybernum*, ſed inter ſuos exiſtimatisſimum Praeſulem: ſaluberrima eſt retinenda regula, ut quae non ſunt contra fidem, neqve contra bonos mores, et habent aliquid ad exhortationem vitae melioris, ubicunque inſtitui videmus, aut inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando et imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non impedit, ut amplius non detrimentum ſit. Contentioſus eſt, qui libidine ad movendas lites incitatur, neque curat, ut locus ſit veritati. Tales ſunt omnes, qui bonos ritus et utiles nulla convellunt necesſitate, qui de rebus non ambiguis movent controverſias, qui non acquieſcunt rationibus, qui non ſuſtinent ſe in ordinem cogi. Tales etiam ſunt ακοινονητοι, qui ſtulta affectatione ad novam et inuſitatam formam feruntur. Eos Paulus non dignatur reſponſione, ſed docet auctoritate magis compeſcendos quam refellendos longis diſputationibus. Praeter Forbeſium *Jeremias Taylor* de Diſciplina Eccleſiaſtica legi mere- Ier. Taylor. Duct. Dubit. L. III, Reg. 1

rur

rur: Ubi nulla Lex, ait, ibi consvetudines Christianae Legem introducunt, a qua sine causis sonticis discedere non licet, nisi maximum excitare scandalum velimus. Commode autem provocat ad Augustinum consvetudinis observationem imperantem: et ad exemplum Gregorii VII. Pontificis, qui Episcopum contra seculi morem prolixiore barba incedentem, eandem ponere coegit. Idem illud laudatus Praesul repetit libro de vita Christi lectu dignissimo, quem in mali Interpretis manus incidisse dolemus, qvum aegre quid sibi velit intelligi possit. Adderem Philippum Limborchium optimas de vestitu Clericorum regulas tradentem, ni magnitudinem praesentis fasciculi vererer. Oblivioni tamen tradenda non est Epistola Encyclica Viri summe reverendi et excellentissimi Praesulis Doctorisque Theologi Christiani Gotthelff Blumbergii, qua Sacerdotes Praesulatui Zwiccaviensi subditos, allatis sine dubio rationibus motus, monet, ne ornamentum illud sacerdotale longa consvetudine commendandum negligant.

Greg. VII. Pont. L. 8. Ep. 10.

Tayl. de Vita Christi T. 1. p. 236.

Ep. Encycl. D. Christ. Gotthelff Blumb. de Collarium usu servando. Ao 1704 d. 4. Martii

XXXII.

§. Reliquae adversus praesentem Collarium usum objectiones tanti non sunt, ut adversus inveteratum morem aliquid valeant. Praestaret equidem ne in luctu quidem vestem a Sacerdotibus mutari, si majorum statutis insistendum: at si cui tale quidpiam pietas imperet, nihil illud ad abrogationem vetustae consvetudinis conferet. Neque dehonestamenta Collaribus a quibusdam illata quicquam impetrabunt. Hos enim satius est admoneri ut gravitatis meminerint, temperantiae studeant, et quicquid muneris vestiumque gravitati adversum fugiant, quam ut cum habitu, puritatis et gravitatis Symbolo, ipsam puritatem gravitatemque ponant ac aversentur.